

principia constituere. Id quod Practici faciunt, & in eo accusantur à Theoricis illis præceptoribus perperâ alicujus ignorantia, utpote cùm verissimum sit vulgatum illud: Qui vadit planè, vadit sanè.

THEORICORVM PRÆCEPTORVM propositio octava.

Distribuitur primò jurisdicção generaliter accepta in duas species, quarum altera jurisdicção simplex sive specialis, altera imperium dicitur, *l. 3 ff. h. tit. ibique Bart. & Dd. l. 1. in princ. & § 1. l. ult. ff. de offic. ejus cui mand. est jurisdicção.* Jurisdictionis autem vocem interdum pro genere, interdum pro specie accipi: idque ad exemplum adoptionis *l. 1. ff. de adopt. l. 10. §. 4 ff. de gradib. & c.* Suprà relatum & confirmatum est. Verùm displicent hæc Cujacio *lib. 21. observat. 30.* & Obrecht. *de jurisdicção. thes. 35. & sequentib.* ubi superiorem distributionem impugnant rationibus parum firmis, ut pulchrè ostendit Henricus à Suerino *cap. 6. & Anton. Fab. 4. conject.*

PRACTICORVM OPINIO.

Jurisdicção regulariter per se cōsideratur, missa illa generali significatione & definitione, ut ex antè dictis patet. Imperiū autem subdividui potest in merum & mixtum. Nam de hujus distributione textum habemus in hac ipsa materia, qui potior est multis aliis textibus extra materiam subjectam re-
pertis. Sanè etiam Obrechtus id ipsum sentire videtur: & mirum est Cujacium, qui aliàs particularis est, hoc nō observasse, nisi dixeris magis id casu, quàm ex arte evenisse. Quatenus enim nemo Jurisprudenciam addiscere potest perfectè, nisi quotidie colligat per quā plurimos casus & decisiones ex uno eodemq; principio proficiscentes, eatenus illi, qui hanc diligenciam